



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 222. Quinam esse possint depositeores & depositarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Dum verò res deposita absque tali concessione culpa depositarii perit, ac ita res eadem in specie restitui nequit, ex hoc non desinere esse depositum regulare, dum in ordine ad hoc considerandum non sit, quod per accidens secutum est, nimirum impossibilitas restituendi rem eandem numero ait Lauterb. *cit.* §. 2. Sic quoque à deposito in specie tali seu puro & regulari deficit sequestrum ex eo, quod res repeti non possit nisi conditione, sub qua deposita, secuta. V.g. victorià Lauterb. §. 17. Porro differentias plures depositi irregularis à regulari vide apud Muller. *ad Srru. in ff. h. t. ib.* 36. *lit. p. & seq.*

2. Dividitur secundò in iudiciale & privatum. Azor. *p. 3. l. 7. c. 2.* Depositum propriè iudiciale est, dum res in iudicio controversa apud aliquem tertium autoritate Judicis deponitur, seu ei committitur custodia, ut lite finita victori restituantur. Quod alio nomine sequestrum necessarium iudiciale appellatur, dum sit parte etiam invita, *l. 7. §. fin. ff. qui satisd. cog.* unde etiam contractum non esse quia non tantum partes ad hoc compelluntur, ut sit in stipulationibus necessariis, sed etiam res interdum manu militari auferitur, quamvis tunc ipse Judex cum sequestro contrahere videatur, ait Lauterb. *h. t.* §. 46. citans Franzk. *h. t. num. 4.* Huic opponitur sequestrum aliud voluntarium, quo à pluribus litigantibus res litigiosa privata autoritate apud tertium deponitur. De pertinentibus ad utrumque hoc sequestrum vide dicta à nobis. *lib. 2. tit. 17.* uti & apud Lauterb. §. 14. *& seq.* Est & alia depositi iudicialis species, de qua Azor. *l. c.* dum debitor offert creditori pecuniam ei debitam, quam, quia creditor recusat accipere, debitor ad usuras aliasque molestias evitandas consignat Judici. De quo est textus in *l. acceptam. C. de usuris.* ubi etiam, quod hac ratione debitor à solutione usurarum legitimarum seu interesse solvendo creditori, & periculo casus fortuiti liberatur, & jus pignorum tollitur. Quod tamen, quia non tendit simpliciter ad rei custodiam, sed ad effectum liberationis à debito, non esse hujus loci ait Lauterb. *h. t.* §. 6. Depositum privatum, dum res non litigiosa privata autoritate apud aliquem privatum, de cuius fide & diligenti custodia confidit deponitur custodienda, subdividitur in voluntarium, quod sit libera voluntate, nulla necessitate impellente; & in necessarium, quod sit ex necessitate aliqua, puta ob imminens periculum belli vel tumultus publici, incendii, naufragii, ruinae *l. 1. §. 12. ff. h. t.* quod etiam ab alii vocari depositum miserabile, ait Lauterb. §. 5.

*Quaest. 222. Quinam esse possint depositores & depositarii?*

1. **R**esp. Primò in genere cum communi: celebrare contractum depositi possunt omnes, qui nec naturam impediuntur, nec lege contrahere prohibentur. Lauterb. *ad ff. h. t.* §. 8. idque sine ulla differentia sexus & potestatis sive patriæ, sive dominicæ. Muller. *ad Srru. h. t. ib.* 33. *lit. b.*

2. Resp. Secundò in specie: ut depositor quis esse, seu rem deponere possit, non refert, an dominium & plenum jus habeat, an solùm aliud quod præterdat in re deponenda; ut creditor respectu pignoris, quod deponere potest apud alium. *l. 9. C. de pignor. act.* Muller. *l. c.* imò qui jus nullum in ea habet, sed fundat se in nuda possessione vel quasi possessione, ut fur & prædo. *l. 1. §. 39. l.*

*31. §. 1. ff. h. t.* Muller. *l. c.* sic etiam procurator habens ad hoc domini mandatum, rem illius deponere potest, quia actione depositi non tenetur, sed quam habet adversus depositarium, domino cedere debet. Sic etiam per alios deponere possumus, & actionem depositi nobis acquirere. Muller. *l. c.* quem vide. Sic etiam ipse depositarius rem apud se depositam deponere potest apud alium, item pupilli spectata autoritate tutorum ad hunc effectum, ut ipsi teneantur contraria actione depositi, ut Idem citato Molin. *de f. & f. Tom. 2. tr. 2. d. 515. num. 2.* Item deponere possunt plures, qui si ita deponerint (ut patebit ex tenore depositi) ut unusquisque repetere totum possit in solidum, quisque actionem instituere contra depositarium potest, si autem pro parte solum depositio facta, singulis tantum suum interesse prosequi datur. E contra deportati non possunt; cum fictione juris habeantur pro mortuis. Muller. *l. c.* quem vide. Et hæc quidem procedunt in deposito regulari; in deposito enim irregulari, ubi usus conceditur, depositores esse non possunt alii, quam qui rerum deponendarum sunt domini, liberam rerum suarum administrationem habentes, quique eadem alienare non prohibentur; cum in hoc deposito transeunte in mutuum, possessio & dominium transferatur in depositarium. Et sic deponere nequeunt pupilli, minores curatorem habentes, prodigi, quibus bonis interdictum, fures, prædones. Muller. *l. c.*

3. Resp. Tertio: regulare est, quod qui depositum recipere peculiariter non prohibentur, esse possint depositarii. Sic esse potest depositarius filius familias. *l. 1. §. 42. Et l. 11. ff. h. t.* Pupillus auctore tutore, alias non nisi in duobus casibus, de quo vide. *l. 2. §. 15. ff. h. t.* Muller. *l. c. lit. y.* Item depositaria esse possunt taminae. *l. public. ff. h. t.* de Lugo. *l. c.* & licet moribus inductum in multis locis, ut taminae sine curatoris consensu ex contractu regulariter non obligentur; ne fragilitate sexus damnum incurrant: si tamen rem apud se depositam etiam sine curatore receperint, quia tantum requiritur custodia & parum consilii aut accuratioris, ad illam restituendam conveniri possunt. Et sic in praxi servari docent & testantur Carpz. *ad l. 1. §. 15. ff. h. t.* & alibi cum aliis apud Lauterb. *l. c.* Depositaria etiam esse potest Eccl. *l. 1. h. t.* modò tori collegio insinuatum fuerit Muller. *l. c.* Item apud plures æquè ac apud unum deponi potest. *l. 1. §. 42. ff. h. t.* Apud dominum res illius deponi nequit, saltem ad effectum ut nascatur actio depositi. *l. 31. §. 1. ff. h. t.* religiosum sine licentia Prælati servan-tem alienum depositum malè facere dicunt Molin. *l. c. d. 325* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 24. m. 6.* Pirh. *h. t. n. 15.* ubi etiam, quod in Societate JESU prohibitum Præpositis & Rectoribus recipere depositum, maximè pecuniarium; cum non peragant negotia cum consensu Capituli seu collegii. Religiosum tamen non peccare per hoc contra votum paupertatis, si sistat in mero deposito, & nihil juris aut emolumentum transeat in depositarium, censet de Lugo *l. c. num. 6.* cum Sanchez, &c.

*Quaest. 223. Quenam res deponi possint?*

1. **R**esp. Primò in genere: res omnes, quæ sub custodiam cadunt, & licet Lauterb. *h. t.* §. 9. addit; existentes in commercio: videntur tamen ex particulæ redundare; cum res sacræ, puta calices consecrati; casulæ